



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

XXXI. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

S. Mauritii Cfaki Ordinis Prædicatorum Mater prægnans, devotione tunc Ungaris propriâ, ad Deiparam confugit, cujus ope Filium enixa, totum ejusdem obsequio dicavit. Nec minus, ac Mater volebat, egit Filius, Martii Dei honori diem impendere non contentus, etiam noctes addebat, quod agere volenti, ultrò, se templi fores referabant. *Boll.* Nullus est obex Mariam colere volenti.

S. Mauriti, cujus devotioni dies nimium angustus, & omnis mora brevis erat, doce me orare, ita vitæ dies & noctes agere, ut noctem illam quæ prima mihi æternitatem aperiet securus ingrediar, & Cœlestis Jerusalemportam apertam inveniam. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies, millies, imò infinities te saluto: te omnino possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. f. 2.

Ad quod impetrandum restant hodie dicendæ 35. salutationes Marianæ.

In petitione Beatissima Virgo habet vires insuperabiles, & robur inexpugnabile, ne immensam ejus clementiam superet multitudo peccatorum. *Greg. Nicom. or. de B. V.*

Quæstio: Cur non Propheta, sed Angelus revelaverit Beatissimæ Virgini Christum naturam humanam assumpturum? *v. Vener. Bed.*

I. APRIL.